



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. LII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

C A P. LII.

ECce autem, cum infelix ego homo deberem, omiſſis ceteris ſtudiis & cogitationibus, id unum agere, id unum meditari, ut tibi placerem, amor meus, mea voluptas, meæ deliciae, mea amœnitas, ut, bonis operibus operam dando, male tranſactum tempus, ut ait Apoſtolus tuus Paulus, redimerem, me nova cupido, vel ſtultitia potius, inuafit: ut, edito aliquo opere, celebre meum nomen, ſi poſſem, efficerem. O inanes meas cogitationes! ô ſtulta conſilia! Nonne, ſi mihi cordi erat, meum nomen in omnem æternitatis memoriam propagare, ea via niti debebam, quam, ad veram gloriam, rectiſſimam eſſe didiceram? nimirum, ut peccatis animum exuendo, ac virtutibus exornando, juſtitiam amplecterer, diligerem, colerem: quod, ut præclare Vates ille cecinit, qui tibi erat in amore atque deliciis, ſolus in memoria æterna futurus ſit juſtus. Cum igitur, hoc tam inani nominis mei propagandi ſtudio flagrarem, non fuit conſilium, grave ac ſeverum aliquod opus dolare atque perficere, quod ſolidam atque utilem fidelibus tuis doctrinam contineret, vel quod oſtenderet, quomodo poſſent hic homines tibi placere, ſed ad fabulas animum converti, atque commenticiam quandam civitatem effinxi, in qua multa, partim levia, partim ridicula, partim etiam flagitioſa agerentur: quod verebar, ſi de rebus ſeriis, videlicet de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honeſtis ac turpibus, utilibus aut inutilibus, de juſtitia, de continentia, de

de prudentia, de pietate, de ceteris virtutibus, contrariisque vitiis, libros confecissem, ne lectores, indicibus eorum perterriti, quod essent de rebus pervulgatis atque molestis inscripti, ab eorum lectione absterrentur, aut libri illi, in infinita voluminum turba, quæ de rebus illis docte, ornate, copioseque loquuntur, latitarent; vel, si comparerent, nemo eos vellet aspicere, nec prorsus attingere. Verum, cum me conscientiarum morsibus pervelli sentirem, (nunquam enim sum à te omnino desertus, rex meus & Deus meus,) ac tacite mecum loquereris, non esse æquum, tempus, ad tibi serviendum, atque ad salutem meam in tuto collocandam mihi concessum ac traditum, iis ineptiis scribendis largiri, quæ nullam mihi utilitatem, ceteris etiam damnum & offensionem, afferrent; cum, inquam, his vocibus compellarer, ita eram impudens, ita stultus, ut mihi persuadere conarer, posse me etiam per hanc rationem, agris animorum animis mederi; non enim inutile ac reprehensione dignum habendum esse illud opus, quod communia hominum vitia in legentium oculis prope defigeret, eosque peccati turpitudine inspecta, à vitiis ac sceleribus avocaret. Sed re vera mihi ipse blandiebar, ac vanitati ambitionique honestissimam virtutis personam imponebam. Nihilo minus tamen, opere perfecto absolutoque, coepit me facti poenitere; ac temporis etiam jacturam, honestioribus laboribus suscipiendis, farcire sum conatus. Quin etiam, subito quodam divini tui amoris impetu abrepto, factus est mihi liber ille anathema; rejectusque in angulum, tanquam in carcerem, aliquandiu ibi pulvere situque contabuit. Sed, die
que-

quodam, cum ego sermonem cum homine mihi amicissimo haberem, incidit mentio de libris, atque, eum esse apud me libellum, aperui, pluribus fabulis facetiisque refertum, qui, suo lepore, posset cujusvis ad se legentis animum rapere. Exarsit ille cupiditate incredibili, ejus inspiciendi; ac petere à me opere maximo coepit, ut ejus sibi legendi copiam facerem: nam fieri posse, si talis esset, qualis à me describeretur, ut sine ullo meo sumtu, typis ab aliquo mandaretur. His auditis, continuo me pristinus propagandi nominis ardor arripuit; ac statim meo cum libro in gratiam redii, extractumq; è tenebris, homini tradidi. Quanto melius mecum esset actum, si id illi factum contigisset, quo plures scriptiones meæ, quibus oculum meum honeste oblecto, interierunt! nimirum, ut vel discerptus esset, vel traditus flammis. At ille, cum multos menses per manus hominum volitasset, se demum in celebrem urbem quandam pervenisse cognovit, ubi à mercatore quodam exceptus, ac liberaliter habitus, delatus est ad externos. Sed, cuinam, Domine, hæc narro? tibine, cui aperta sunt omnia, quique tum cogitationes illas meas inspiciebas irridebasque, quoniam vanæ essent? Minime; sed servis & amicis tuis mea vulnera detego, qui te orent, ut sis propitius. Iam fere biennium, à meo stulto consilio & vana cogitatione, deflexerat; nec liber, nec à mercatore literæ veniebant, quæ quidquam de libro indicarent. quamobrem periisse eum existimans, (nam ejus exemplum apud me domi nullum reliqueram,) gaudebam; atque in eam etiam opinionem adducebar, ut crederem, ejusdem interitum, divina tua providentia contigisse; quod nolles, quid-

qu
an
pr
in
ac
re
to
on
tin
ex
na
pe
qu
Re
ob
sur
eff
illu
le
dii
sun
par
bit
vat
pas
det
qui
fue
eni
Do
um
lap
vid
rec
con
geli

quidquam extare, quod aliquid mihi de tuo amore gratiaque detraheret: cum mihi ex improvviso affertur, librum, multis jam mensibus impressum, in meam patriam delatum fuisse, ac multorum manibus teri. Sed, cum inquirerem, quænam de eo esset hominum eruditorum sententia, inveni, pessime eum apud omnes audire; non quidem, quod stylum attingat, nam eum satis ornatum elegantemque existimari; sed quod ad res spectet, quæ in eo narrantur; quæ essent partim turpes, partim perniciosæ, vel quod mores corrumpere, vel quod famam multorum læderent, vel quod Reipub. decus dignitatemque minuerent. quæ obrem multi erant auctores iis, apud quos summa rerum reciderat, ut famosi libelli reus efficerer. recte an secus, nihil ad hoc tempus. illud mihi dolet, illud me cruciat, illud male me habet, quidquam ab ingenio meo prodiiisse, in quo ita aliqui offenderentur. Hæc sunt mala, in quæ me, partim Adæ peccatum, partim mea culpa, conjecit. Ecquis me liberabit de corpore mortis hujus, nisi tu Deus, salvator meus? Ecce, ego ante oculos tuos culpas meas defero, infirmitates aperio, vulnera detego. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, si in correptione fuerit, ad misericordiam venire licebit: non enim delectaris in perditionibus nostris. vide, Domine, humilitatem meam & laborem meum; & quia, ex me, nequeo sine casu ac prolapione consistere, quoties tu me jacentem videris, subleva, cadentem sustine, infirmum recrea, afflictum consolare, manus dissolutas conforta, genua debilia robora; impera Angelis tuis de me, ut custodiant me in omnibus

viis.